

queso, ne Paridem illum Venerium referas, de quo Flacus tuus in saphicis suis: 'Arbiter pugne posuisse palmam Sub pede nudo Fertur'.¹ Sepenumero advertisti me de nobilitate in utram vis partem vel glorie vel ignominie disputantem, quam grave scilicet onus insignis maiorum industria humeris posteriorum imponat, quibus vite honestas morumque observantia non tam gloriosa quam necessaria, qui etsi vigilantissime egerint, non tam laudem merentur quam vitant reprehensionem, utpote quibus in maxima fortuna minima sit licentia. Nam si a via, quam eis gloria parentum editissimo virtutis loco stravit, inde inquam si tantillum quid exorbitaverint, o mi G., in quantum precipitium fame, nominis, honorum ruituri sunt! Hęc inquam vel et multa id genus et his similia, quę ut nosti in campis disputationis laxis frenis effunduntur, cum epistolares angustie ista non recipiant, me audistis predicantem. Quamobrem etiam atque etiam unicis modis te monitum atque obtestatum^e velim, ut pro existimatione tua nichil satis exacti arbitreris. Fac quęso, ut tui ipse memineris, neu sis quod aiunt caput sine cerebro. Ad quam vigilantiam cum alia tum precipue te augustissima patris² opinio debet excitare, quę te haut sane sciam utrum magis suo illius splendore illustret an tuo ipsius periculo gravet. Est enim vir ille omni genere virtutis instructus, omni lepore humanitatis mirifice conditus, quę in eo non solum flagrantia morum latissime redolet, sed ex ipsa oculorum hilaritate gratiosissime renidet. Atque sic in te animi ornamenta redundant, ut illa ocularis gratia relucet. Ut vero etiam illa induas, plurimo^f quidem te meo iudicio tum accuratissima bonorum imitatio tum etiam fructuose lectionis frequens illud et dulcissimum contubernium iuvabit^g. Unde hortor, ut Tusculanis tuis plurimus insideas, quibus Latina philosophia Cicerone parente nichil illustrius edidit. Per hoc enim studiorum quasi vestibulum ad illud Augustini sacrarium commodissime tibi viam affectabis. Vix possum ab amplexu tuo avelli, ut aliquando illud raucidum 'vale' subscribam. Unum tamen hoc tibi instillaverim: sic te age, ut qui hoc convictu Coloniam Christo mediante tibi despondeas. Vale in Christo.

1. ^e) *korr. aus* obtestatum c. ^f) *so* c. ^g) iuvabis c.

¹) *Horaz, Carm. 3, 20, 11—13.*

²) *Gemeint sein kann nur Anno*

von Köln.